

igitur effeceritis, ejus nos quamcito vestris litteris certiores facietis.

*Die 9 Decembris 1518.*

*Summo Pontificie.*

Sanctissimo et beatissimo in Christo patri et domino, domino Leoni digna Dei providentia Sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiae Summo Pontifici, Leonardus Lauredanus Dux Venetiarum etc. pedum oscula beatorum etc. Nuper curam pariter ac desiderium in nobis mirifice renovavit eximium quoddam universi cleri vel universæ totius civitatis huiuscæ nostræ studium erga virum inculpatissimæ vitæ Laurentium Justinianum olim patriarcham Venetiarum; nam, Deo sic volente, cunctorum in præsentia quasi vox una, unum idemque desiderium solito vehementius incensum conspicimus videndæ illius diei, qua sanctam viri memoriam legitime jam, hoc est per inviolabile Sanctitatis Vestræ decretum, ut veri tandem nominis liceat venerari; quippe

136\* memoriam tenemus a felici recordatione Sixti IV pontificis maximi mandatam duobus reverendis prælatis fuisse, cognitionem vitæ totius viri in summa omnium sanctitatis opinione defuncti. Sedulo ab illis quidem omnia ad verum investigata scriptisque solemnni ritu commendata et in archivis reposita; sed eadem postea incendio absumpta fuisse. Subsecutæ sunt mox et rerum atque temporum variæ gravesque mutationes, ut quamvis dolendum vehementer, non tamen omnino demirandum sit præclari operis redintegrationem et consumptionem hue usque dilatam fuisse. Tamen, si nutu Dei factum hoc, sicuti non ab re fortasse, ita vel maxime nos juvat interpretari, iamque optimam in partem ducere, ut fausto scilicet ac felici Sanctitatis Vestræ pontificali id an ne quasi integrum reservatum esse videatur, quanto rei perfectio, qua religio christiana haud dubio amplificabitur, Sacrosanctæ Apostolice Sedis decus et honor increascent, Eterni vero Patris et Dei Omnipotentis nomen attolletur, tota sanctissimi operis huius confeccio Vestræ Beatitudini accepta referatur; id quod Reipublicæ nostraræ ejus semper observantisimæ incredibiliter gratum atque jucundum fore affirmamus. Igitur Sanctitatem Vestræ, Beatissime Pater, etiam atque etiam oratum volumus, pro pastorali officio suo dignetur, hoc, nobis summopere optantibus et sperantibus benigne concedere, ut ipsa duobus de integro honestissimis prælatis tanquam judicibus apostolicis negotium hoc committat diligenter, perquisitione cognoscendum: ut suis post-

modum, ducente Deo, numeribus atque gradibus providenter illud ipsum perficere possint, quemadmodum in cœteris quoque actibus suis divina dictante inspiratione consuevit. Judices autem ad rem hanc, ne desiderii nostri quicquam celemus, delegi exoptamus duos reverendissimos patres innocentissimos pariter atque integerrimos, dominos Altobelum Averoldum Sanctitatis Vestræ legatum apud nos agentem, et dominum Antonium Contarenum patriarcham Venetiarum, quibus ambobus par alterum vix optari meliores inveniri posse haudquam quam arbitramur, ut igitur ex omni parte nunc fiat nobis quod vehementer optamus Beatitudo Vestræ huic ni mirum obeundo muneri honestissimæ que labori subeundo nominatorum utrumque destinabit, quod et illos pro innata in Deum pietate mandatorumque Vestræ Sanctitatis reverentia cum libentissime suscepturos confidimus, tum optime etiam atque sapientissime curaturos.

Data in nostro Ducali palatio, die 9 Decembris 1518, indictione . . .

Per universum Collegium mandante Serenissimo Principe lecta.

B. COMINUS.

*Exemplum.*

*In libro 34 Rogatorum, ad cartas 1372,  
die 19 Augusti.*

Cum Deus Omnipotens, in diebus nostris ostendit huic benedictæ civitati lucem maximæ consolationis et devotionis reverendæ scilicet memorie domini Francisci Quirino patriarchæ gradensis, cuius meritis Dominus in vita et obitu ipsius domini patriarchæ ostendit multa notabilia et manifesta miracula, vadit pars, ne tanta lux remaneat in obscurio, sed clarus appareat ad consolationem perpetuanum patriæ nostræ et totius fidei catholice, quod, ob Dei reverentiam et honorem nostrum, committatur ambassiatori nostro itero ad romanam curiam, quod, expeditis factis principalibus super commissis, faciat et procuret quiequid bene poterit tam apud dominum Papam quam alios, quod praefatus dominus patriarcha canonizetur et ponatur in cathalogo Sanctorum, ut suis intercessionibus ista civitas semper conservetur in bono statu.

De parte, omnes.

(1) La carta 137\* è bianca.